

Q.K. 352, 74.

II f  
95

B. C. D.

ΠΡΩΤΟΝ ΨΕΥΔΟΣ,

X 1860437

feu

# PRIMUM FALSUM,

Innuente Academiae Lipsiensis  
FACULTATE INCLYTA PHILOSOPHICA,  
PRÆSIDE

*VIRO EXCELLENTISSIMO*

**DN. M. JACOBO THOMASIO,**

Eloquent. P.P. Celeberr. & Collegii min. Principum  
h. t. Præposito Vigilantis.

Disputationis publicæ Argumentum  
*faciet*

**LAURENTIUS WEGER, Regiomont. Prufs.**

*ad diem 22. Decemb. Anno M. DC. LXXV.*


*Horis locoqve consvetis.*

LIPSIÆ,

Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.



26



PROTONOTARIOS

161

PRIMUM FACIENDUM

In nomine Academiae Lipsiensis  
FACULTATE MEDICINA THEORICA

PRASIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO

DR. M. JACOBO THOMASIO

Blodwender, P. Collegii in Principibus  
et Propositorum Viri

Disputationis publice Argumentum

Facies

LAURENTIUS WEGER, Regionarius Paris



ad hunc in Diebus M. L. C. D. M. V.

Habere locum e consuetudine

1721

Typis Wilhelmi WITTINGER

53





Σὺν Θεῷ!

§. I.



Non omnibus omnia arrident: inde sæpe evenit, ut alter alterius opinionis contradictoriam tueatur, eamque pro verissima habeat. Ubi tamen utramque ad lydium lapidem Analytices affricueris, mox veritas unius aut falsitas alterius sese prodet. Quòd si quis hoc nihil obstante principiis suis falsis inniti voluerit, quò aliter evenire potest, quàm ut *falsum semper sequatur falsum*? ut satis nervose dicit Sex. Empir. Pyrrh. Hypot. cap. XXII. Inde nascantur oportet errores, qui erroribus cumulantur: unus quippe sæpe multorum pater est, quæ soboles, ubi parentis fertilitatem imitatur, parvo tempore quasi verminantium copiosa nascitur familia.

§. II. Fœcundæ hujus parentis progeniem pravam suppressendi modus cogitari duplex potest. *Unus* si ipsum parentem primum seu *πρῶτον, κατ' ἐξοχήν* ita dictum, inqviras *ψεύδος*, dein in invento non acquiescas, verum & funditus annitaris evertere. Hoc qui faciunt, non absimiles sunt iis, qui maximorum fluminum, quæ angustis & parvis initiis originem debent, ipsos fontes obstruunt, ut eò facilius cursus fluminis sistatur. Et iis, qui in oppugnatione urbis, ipsa fundamenta murorum tormentis quatunt, ut his subrutis, totisque destructis, via ad interiora urbis penetrandi, detur. *Alter* modus, si, (quod e. g. circa Theologiam Pontificiorum in *πρώτοις ψεύδεσι* suis tentavit Johannes Maccovius,) omisso, vel non perinde curato *πρώτω*, quale diximus, *ψεύδει*, structuram ejus reliquam labefactes, similis illi, qui ædificium destrutturus, parietes successivo multiplicique labore demolitur.

§. III. Quia verò, quod commodè fieri potest per pauca,

A 2

per

per plura fieri non debet, facile æstimabis, priorem destruendi modum accuratiorem videri.

§. IV. Regeres, molestissimi laboris rem eam esse: quemadmodum enim facilius est deicere domum, incipiendo à tecto, & per parietes denique progrediendo usque ad fundum, quam, stantibus parietibus & tecto, quæ fundamento incumbencia firmitus illud & inconcussum magis reddunt, vim primam admoveere fundamento: (ob quam causam meritò ridetur morio ille, qui struem lignorum, ab imò convellere potius quam à summò volebat:) sic etiam difficilius dixeris *πρῶτα ψεύδη*, quam quæ superstructa sunt, labefactare.

§. V. Verùm ut omne simile claudicat, ita etiam hinc notandum, illam de domo destruendâ similitudinem in eo dissimilem esse, quod falsæ sententiæ facilius à fundamento, structuræ verò lapideæ à tecto diruantur.

§. VI. Ita in dogmatibus falsis illa tantum superanda difficultas est, quæ nobis interdum objicitur in inveniendò deprehendendoque *πρῶτω ψεύδει* erroris. Sed difficultatem hanc potius negligentia Scholarum (paucissimi enim in hoc genere laborarunt historia Philosophicæ neglectu) quam ipsi rei putaverim imputandam. Jam ubi superata fuerit hæc difficultas, facillimum erit hoc fundamentum succutere. Ex adverso valde operosæ sunt eorum molitiones, qui neglecto fundamento & principio erroris ea, quæ magno cumulo superstructa sibi quæque mutuis nexibus conjuncta sunt, particulatim deicere laborant.

§. VII. Egregiam proinde operam navare censendi sunt, qui *πρῶτοις* sectarum *ψεύδεσιν* inveniendis breviterque refellendis student. Cui diligentia si alteram simul adjungant, ut integras quasi arbores errorum genealogicas accuratè delineent, dubium non est, quin sic perficiant, ut quilibet animadvertat, succis à radice, quicquid ramorum est, ac fructuum pestilentium, pariter aboleri. Sed qui hoc præstiterint, oppidò sunt pauci, ac nescio annon prope nulli.

§. VIII. Neque verò nos hoc laboris jam nobis imponimus, ut vel unius hæreseos genealogiam, à stirpe prima ad ultimos ramusculos depingamus: solliciti potius e imus in genere de actu

*signato*

*signato*, seu de natura primi falsi, & iis, quæ ad eam rem intelligendam rectius pertinent: miscebimus interim majoris lucis gratiæ exempla subinde, quæ adeo nobis veluti mutuari liceat è copiis actuum exercitorum.

§. IX. Ante omnia monere placet, nos πρώτον ψεύδος distinguere à πρώτη κακία. hoc est, ab illa malitiâ, quæ falsæ alicui sectæ primum quasi stimulum dedit. Ut res melius capiatur, dico quasdam opiniones gigni ex imbecillitate intellectus, aut ignavia quadam verum inquirendi: quasdam verò è pravitate aliquâ voluntatis.

§. X. Vestigia hujus observationis licet reperire apud Aristotelem Lib. IV. Metaph: cap. 3. 4. 5. Agit ibi Philosophus de probatione principiorum universalissimorum, dicitque fuisse nonnullos, qui principium hoc: *Impossibile est idem simul inesse eidem, & non inesse, secundum idem*, negarunt: quorum aliqui non tantum verbis sed ipsâ etiam mente dubitarunt, idque vel propter animi imbecillitatem & morbum, ideò, quòd oppositis rationibus sophistarum obsistere non possent; vel ex quadam proterviâ, qui quanquam mente aliud putarent, oratione tamen externâ principium hoc impugnabant, quoniam suâ, quâ pollebant, disputandi facultate freti, nullâ ratione redargui posse existimabant, apud D. Doct: Dreierum Disp: 5. Philos: Prim. §. II. seqq. & Sonerum in l. c. Arist: Qui sanè modus κακίας est, etsi enim meliora scit, probatque, tamen ex proterviâ deteriora sequitur.

§. XI. Hinc quoque Philosophus l. c. docet, contra utrosque illorum non æqualiter in disputando progrediendum esse. Ac priores quidem, quoniam habent rationes obstantes, ideo etiam rationibus sanandi sunt, & cum ignorantia eorum sanabilis sit, ad mentem etiam, non ad verba redargutio fieri debet. Posteriores verò, quoniam non mente dubitant, sed verbis, alio modo corrigendi sunt, scilicet vi & violenta redargutione, quam non ad mentem sed ad verba illorum dirigi oportebit. Conf: iterum Dreierum l. c. §. 17. Sonerum in h. l. & Havenreuterum Com. in Arist. cit. loc. Et hanc magnam corruptæ Philosophiæ causam esse testantur Piccartus Disp. de causis corruptæ Philos. in Philos. Altdorfina pag. 73. & Excel. Dn. M. Hedio Profess. Academia Patriæ Dispp. de causis corruptæ Philos. §. 18. qui omninò videndus.

§. XII. His præmissis ad rem ipsam accedamus. Πρώτον ψεύ-  
δος duo sunt vocabula. Utrumque separatim considerari meretur.  
Incipiemus autem a posteriore. ψέδος alias & mendacium & falsum  
seu falsitatem notat. Hoc loco posterior significatio obtinet, quan-  
quam & prior Interpretibus Aristotelis non infreqvens est, ut ex  
IV. Eth. ad Nic. cap. 7. & aliis locis patet: ubi conferri potest pa-  
raph. Andron. Rhodii in IV. Eth. 9. & Stobæus Serm. de veritate  
& Mendacio, qui est LXI. & seq. pag. 235. seqq. Hic tamen rectè  
versiones omnes, quas modò videre licuit, eo loco, ubi πρώτος  
ψεύδος mentio fit apud Aristotelem, (h. e. lib. II. prior. anal. c. 18.  
al. 20.) in id conspirant, ut primum falsum interpretentur, non verò  
primum mendacium. Nec aliter Marsilius Ficinus, dum Platonis  
Cratylum interpretatur fol. 299. Edit. Græco-Lat. Francf. 1602. cir-  
ca figuras interdum exiguo quodam primo ignoto falsoque existente:  
(τὸ πρῶτον σμικρὸν καὶ ἀδήλως ψεύδος γενομένον:) reliqua deinceps mul-  
ta consonant.

§. XIII. Et verò non parva inter hæc duo, falsum scil. &  
mendacium, est differentia. Falsum est, quando verba non conve-  
niunt rebus, vel quando res taliter esse dicitur, cum tamen longè aliter  
se habeat, V. Met. 29. Mendacium autem æstimatur è dissensu ver-  
borum cum intellectu dicentis, atque adeò est locutio contra mentem,  
cum videlicet aliud loquimur exterius, aliud interius sentimus, uti Tho-  
mas 2. quæst. 98. art. 1. & quæst. 110. art. 1. inquit. Unde exempli  
gratiâ, is dicitur mentiri, qui quidem novit exactè, quid verum sit,  
attamen verbis contrarium edisserit. Conf. Stobæum l. sup. cit. &  
Arist. 4. Eth. 7. Eustrat. in h. l. Quando verò quis autumat, rem ita  
se habere, quæ talis non est, tum falsum quidem dicere, sed non  
mentiri existimabitur. Conf. Sext. Empiricum adversus Mathem.  
pag. 121.

§. XIV. Fatemur interim fieri posse, ut is, qui falso princi-  
pio innititur simul mentiatur, id quod quodammodo ex dictis in-  
telligitur; §. X. enim adduximus ex Arist. bigam negantium pri-  
mum principium: quarum quidam ex proterviâ hoc fecerunt, at-  
que his sane simul mendacium adhæret. Sed quia tamen ad essenti-  
am falsi simpliciter non pertinet mendacium, ab eo abstrahendum  
nobis esse meminerimus.

§. XV. Ea-

§. XV. Eadem hęc notione & vox  $\Psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$  accipitur in vocabulo  $\Psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\gamma\epsilon\acute{\alpha}\Phi\eta\mu\alpha$ : huiusmodi quippe syllogismus, quæ talis, nihil mendacii committit, cum constet ex propositionibus scientiæ propriis, quæ ingrediuntur constitutionem syllogismi pseudographi I. Top. I. I. Soph. elench. cap. II. Conf. Alexand. in h. l. Schegkium de Apatetico syllogis. & alios.

§. XVI. Non prætereundum hoc loco,  $\Psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$  seu *falsi falsitatisve* nomine qualemcunque intelligi falsam propositionem seu enunciationem, sive in  $\epsilon\upsilon\delta\iota\alpha\theta\epsilon\tau\omega\ \lambda\omicron\gamma\omega$  eam consideres, sive in  $\pi\rho\omicron\phi\omicron\rho\epsilon\iota\kappa\acute{\omega}$ , sive intra, sive extra syllogismum. Et tantum de prima voce.

§. XVII.  $\pi\rho\epsilon\omega\tau\omicron\nu$  nihil aliud significat, quàm *primum* vel etiam qualemcunque *primum* in comparatione alterius, tanquam posterioris. Dicitur autem  $\tau\omicron\ \pi\rho\iota\upsilon\varsigma$ , apud Aristot. multipliciter lib. Categor. cap. de Modis prioris, & V. Metaph. cap. II. Hoc loco *primum natura* intelligi debet & quidem ejusmodi, quod in secundum seu posterius falsum influat *causaliter*, quomodo scilicet quælibet præmissa est causa conclusionis ex ea formaliter sequentis.

§. XVIII. Nec incongruum erit rationem appellationis ex eo illustrare, quod quemadmodum verissima principia demonstrationis, dicuntur & sunt prima, ita per analogiam quandam, in demonstratione falsa, quædam prima & sint & dicantur. Ut enim in scientia & demonstratione rerum cognoscendarum datur veritas aliqua prima principiorum, quibus omnia reliqua tanquam fundamento cuidam superstruuntur: ita in falsis fontes quasi & scaturigines errorum, nempe principia falsa, dantur. Confer Schegkium Org. Arist. Parte I. Tract. V. cap. 9. pag. 345. seq.

§. XIX. Notandum hoc loco nihil nos morari, etsi  $\pi\rho\epsilon\omega\tau\omicron\nu$   $\Psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$  non sit omnium *primum ordine*: accidere quippe potest, ut in syllogismo aliquo vera sit major, quæ prioritate ordinis minorem præcedit, minor contra  $\pi\rho\epsilon\omega\tau\omicron\nu$  contineat  $\Psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$ , quo in casu nihilominus respectu conclusionis falsæ, ut effectus, causa hujus prior est. Quod & observandum in syllogismis ex utraque præmissarum falsis; ut sciamus videlicet, eam propositionem, quæ magis causat conclusionem falsam, priorem esse naturâ, præ illa, quæ minus causat; quod §. XLVI. exemplo illustrabimus.

§. XX. Et

§. XX. Ex dictis obiter patet, in voce πρώτης ψεύδους latere aliquam *equivocationem*; siquidem nativa vocabuli vis non repugnat, quo minus in syllogismo, cujus utraqve præmissarum falsa est, majorem appelles πρώτον ψεύδος & etiam in comparatione minoris, quoniam hanc ordine præcedit, tametsi non perinde in falsitatem ejus, ut in falsitatem conclusionis influat *causaliter*. Verum tale πρώτον ψεύδος alienum est ab instituto nostro.

§. XXI. Pro Synonymo πρώτης ψεύδους error primus seu in principio stare potest. Atque huc illud pertinet, de quo intra §. LV. quando Philof. i. de cælo cap. 5. t. 33. inquit: τὸ μικρὸν παραβῆναι τῆς ἀληθείας ἀφισαμενοῖς γίνεται πόρρω μυριοπλίσιον. Quod Johan. Argyropylus Byzantinus ita vertit: parvus exitus à rei veritate fit hisce, qui exorbitaverunt, si longe progrediantur, decies millies major. Apud Averroën pag. 23. ed. Venet. Anni 1562. hæc est paraphrasis: *Minimus error in principiis rei multiplicatur in fine.* Ubi error in principiis fati bellè conspirat cum appellatione *primi falsi*. Eiden Averroi & id propter quod fit falsum, appellatur paraph. in 8. Top. cap. 3. loc. 67. pag. 265. B. Schegkio *causa falsitatis* in 8. Top. text. 41. pag. 1188. & *cardineum falsum* P. I. Org. Tract. v. cap 9. pag. 346. edit. Basil. 1577. Lexicographis ut Michaelio pag. 1127 & Goclenio Lexic. Philof. pag. 863. *fons falsi* dicitur; *fons & origo false illationis*, Lucio Com. in II. prior. cap. 18.

§. XXII. Consideravimus singula verba. Jam πραγμатеῖαν aggredi lubet. Omnino autem à definitione incipiendum erit, si leges bonæ methodi observare voluerimus. Nolumus tamen hæc anxie inquirere in accuratam definitionem, sed sufficere aliquam definitionem attulisse. Et sic putamus latere aliquam in terminis; ψεύδος enim quasi loco generis stare potest, & πρώτον inferriet conceptui *differentie*, per quam distingvatur falsum primum, à falsis omnibus secundis. Si quis tamen paulò planiorem definitionem postulet à nobis, hanc audiat: πρώτον ψεύδος est *propositio falsa, sumpta cum respectu ad aliam falsam unam pluresve quam illa vi formalis consequentia per se gignit, eamq; adeo antecedit per modum cause, & quidem primarie.*

§. XXIII. Dixi i.) *propositio falsa*, (cujus scilicet prædicatum inesse dicitur, reverà autem non inest) ut distingvatur à verà: cuius



ius prædicatum, quod inesse dicitur, etiam subiecto inest, aut a subiecto abest, à quo abesse dicitur. conf. Neldelii Synopsin Poster. Analyt. in Opusculis Posthumis pag. 56. & Piccarti Synopsin Organ. pag. 129. Dixi 2.) *sumpta cum respectu ad aliam falsam*: quæ scilicet ex eâ sequitur, quia fieri aliàs potest, ut ex falsis verum sequatur, & syllogisticè quidem, i. e. vi formalis consequentiæ, ut docet Arist. II. prior. 2. I. Post. 6. Conf. Piccart. Synops. Org. pag. 507. 586. & Schegkium l. c. Tractatu V. cap. 2. pag. 301. seqq. Sed huiusmodi propositionem falsam hoc loco non attendo. Dixi 3.) *Unam pluresve*, quo ipso communis exprimitur conceptus, & ab omni primo falso tum generali tum speciali (de quâ divisione mox in sequentibus) abstrahitur. Dixi 4.) *quam illa vi formalis consequentiæ per se gignit eamq, adeò antecedit per modum cause*; ut rursus distingvatur à primo falso, quod non causaliter, sed solò ordine prius est: de quo sup. §. XIX. Deniqve dixi 5.) *Et quidem primarie*, ut discernam primum hoc falsum ab altero, quod quidem & ipsum causaliter influit in conclusionem, sed secundariò. Rem intelliges ex §. XLVII.

§. XXIV. Accedimus ad Divisiones; Potest autem  $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu$   $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$ , secundum scientias dividi, ut aliud sit *Theologicum*, aliud *Juridicum*, aliud *Medicum*, aliud *Philosophicum*. Nulla est enim disciplinarum, in qua non reperias, qui à veri tramite deviantes, in varios errorum anfractus inciderint. Verùm nos in Philosophicâ stantes cathedrâ, ubi exemplis uti commodum videbitur, philosophica cum primis circumspiciemus.

§. XXV. Distingvimus 2.  $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu$   $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$  in *generale & speciale*. *Speciale*, quod prius considerare lubet, est *falsa propositio*, considerata tantùm in unicò syllogismò, vel sumpta in relatione ad unicam tantùm conclusionem falsam. Comparariqve adeò potest cum patre, qui vel non nisi unius sobolis est parens, vel si maxime copiosissimam genuerit familiam, cum unò tamen solò vel filio, vel nepote, vel quocunqve posteriorum contenditur. Simul hinc intelligis, divisionem hanc, à nobis maximè hic ita accipi, quatenus pendet à diversis considerandi modis.

§. XXVI De hoc speciali falso sermo est Aristoteli Lib. II. Prior. cap. 20. al. 18.) Agit ibi de Impotentiis syllogismorum, harumqve

.LXXX. 2

B

tertiam

tertiam veluti speciem constituit  $\Psi\epsilon\upsilon\delta\eta\ \lambda\acute{o}\gamma\omicron\nu$ . h.e. ut B. Höpfnerus ad eum locum pag. 504. commentatur, *falsum syllogismum*, (conf. Monlorium in h.l. & Piccartum in Org. pag. 532.) ejusque falsitatem imputat  $\tau\acute{\omega}\ \pi\epsilon\acute{\omega}\tau\omega\ \Psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota$ , illi puta, quod nos *speciale* vocavimus.

§. XXVII. Apponamus integrae ejus verba: *falsa*, inquit, *ratio* ( $\Psi\epsilon\upsilon\delta\eta\ \lambda\acute{o}\gamma\omicron\nu$ ) *efficitur ex eo, quod primum falsum est*, ( $\tau\acute{\omega}\ \pi\epsilon\acute{\omega}\tau\omega\ \Psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota$ ) *aut enim ex duabus propositionibus, aut pluribus constat syllogismus. Si igitur ex duabus constat, harum alteram vel ambas necesse est falsas esse, ex veris namque non erat falsus syllogismus. Sin ex pluribus constat, (h. e. si pro syllogistica propositio una pluresve addantur) velut  $\tau\acute{\omega}\ \gamma$ . probetur per  $\alpha\ \beta$ , haec autem per  $\delta\ \epsilon$ ,  $\zeta\ \eta$ , horum superiorum quippiam falsum est (subaudi primum) & propter hoc est ratio falsa.*

§. XXVIII. Quod Philosophus hic  $\pi\epsilon\acute{\omega}\tau\omega\ \Psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota$  vocat, id B. Höpfnerus eleganti paraphrasi pag. 507. *scaturiginem falsi in conclusionem redundantis*. Adjungamus & definitionem Micraëlii è pag. 1760. Lex Philos.  $\pi\epsilon\acute{\omega}\tau\omega\ \Psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota$ , *primum falsum dicitur, quod principaliter in aliqua argumentatione efficit falsum, & quò sublatò ipsa quoque ratiocinatio falsa tollitur*. Pertinet omninò hæc definitio ad primi falsi conceptum non *generalem*, sed, qualem & Aristoteles prævit nobis, *specialem*, h. e. sumptum cum respectu ad unicam tantum conclusionem falsam.

§. XXIX. Sed juvat totum Aristotelis locum paulò excutere accuratius. Id vult Philosophorum Princeps, falsam conclusionem omnem syllogismi formaliter legitimi nasci ex falsitate, quæ præmissas infecit. Jam fieri potest, ut *una* tantum præmissarum sit falsa; fieri quoque, ut *ambæ* laborent erroris vitio. Si *una* tantum, neque illi quicquam additur, certum est, eam conclusionis  $\pi\epsilon\acute{\omega}\tau\omega$  haberi  $\Psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota$  oportere.

§. XXX. Illustremus hoc exemplo. Veteres quidam è perpetuo stellarum motu concludebant, eas esse animatas. Integer syllogismus, qualem ferè & Vossius Lib. II. de Orig. Idolol. cap. 30. fol. 230. exhibet, hic erat: *Omne corpus inanimatum quiescit in loco suo naturali. Stelle non quiescunt in suo loco naturali. E. stelle non sunt corpora inanima.* Hic  $\pi\epsilon\acute{\omega}\tau\omega\ \Psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota$  absque dubio est in majore propositione. Quæ vera quidem est sensu particulari, ut exemplis patet sublunarium corporum, non item universali.

§. XXXI.

§. XXXI. Pergamus cum Aristotele. Ubi falsæ præmissæ simul additur prosyllogistica probatio, quo casu, (si ratio quoque rationis, atque sic porrò, postuletur,) facillè novarum probationum quasi catena quædam una pluresve nasci possunt: necesse est in illo vel uno prosyllogismo, vel multorum cumulo, reperiri propositionem aliquam falsam, quæ sic inter falsas reliquas emineat, ut eâ jugulatâ, simul animam agant cæteræ.

§. XXXII. Underectissimè Piccartus monet pag. 533. Synops. Org. In solutionibus falsarum ratiocinationum, non quamvis propositionem falsam esse attingendam, sed solum incidendum  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$  i. e. eam propositionem, in qua nervus falsitatis hæret. Confer Monlorium in locum præf. & omninò Schegkium Parte I. Org. Tract. V. c. p. 345.

§. XXXIII. Suggestat hîc nobis exemplum Anaxagoræ crassissimus de nive error, quam ille albam negavit, nigram asseruit. Audiamus Ciceronem in Lucullo seu lib. IV. Accad. Quæst. pag. 25. (al. 43.) *Anaxagoras non modò albam nivem esse negabat, sed sibi, quia sciret aquam esse nigram, unde illa concreta esset, albam ipsam esse ne videri quidem.* Conf. paulo ante pag. 36. B.

§. XXXIV. Latent in hoc argumento duo syllogismi, principalis puta & prosyllogismus. Fallitur enim Leo Allatius, dum Anaxagoram putat unico syllogismo (qui quidem quatuor esset terminorum adeoquæ formaliter ineptus) rem expedire voluisse. Decipit eum locus Sexti Empirici perperam intellectus è lib. I. Pyrrh. Hypotyp. cap. 13.  $\nu\omicron\delta\mu\lambda\upsilon\alpha\ \delta\epsilon\ \phi\alpha\iota\omicron\nu\mu\lambda\upsilon\iota\varsigma,\ \acute{\omega}\varsigma\ \acute{\omicron}\ \acute{\alpha}\nu\alpha\zeta\alpha\gamma\omicron\rho\alpha\varsigma\ \tau\omicron\ \lambda\epsilon\upsilon\kappa\eta\nu\ \epsilon\iota\nu\alpha\iota\ \tau\eta\nu\ \chi\iota\omicron\nu\alpha,\ \acute{\alpha}\nu\tau\iota\lambda\iota\theta\epsilon\iota,\ \acute{\omicron}\tau\iota\ \chi\iota\omega\nu\ \acute{\upsilon}\delta\omega\rho\ \acute{\iota}\sigma\tau\iota\ \pi\epsilon\pi\eta\gamma\omicron\varsigma,\ \tau\omicron\ \delta\epsilon\ \acute{\upsilon}\delta\omega\rho\ \acute{\iota}\sigma\tau\iota\ \mu\acute{\epsilon}\lambda\alpha\iota,\ \kappa\alpha\iota\ \acute{\eta}\ \chi\iota\omega\nu\ \acute{\alpha}\rho\alpha\ \mu\acute{\epsilon}\lambda\alpha\iota\nu\acute{\alpha}\ \acute{\iota}\sigma\tau\iota.$  Quæ ex Henrici Stephani Interpretatione ita se habent: Intellectualia autem apparentibus, ut Anaxagoras huic propositioni, albam esse nivem, opponebat hanc, nivem aquam esse concretam, aquam autem esse nigram, igitur & nivem nigram esse.

§. XXXV. Hæc Sexti verba cum retulisset Leo Allatius Notis in Eustath. Hexaëm. pag. 42. hæc subdit: *Quæ argumentatio vel ex illo solo refelli potest, quòd terminos in propositionibus mutet, quos si non mutaret, ipsa per se rueret, esset quæ ridicula.* Ipse sic formabat: Nix est aqua concreta, Aqua est nigra: Ergò Nix est nigra: cum ita esset formanda: Nix est aqua concreta: Aqua concreta est nigra: tunc utique sequeretur,

queretur, ergò nix est nigra. Sed quis concederet, aquam concretam esse nigram? Cum aquam etiam ipsam, etsi non concretam, nigram esse non affirmaret.

§. XXXVI. Non animadvertit vir doctus, argumentationem Anaxagoræ, qualem Sextus enunciat, ut ut unici modò syllogismi speciem præseferat, virtualiter tamen, ut cryptici solent, duos complecti, dum scilicet loco majoris propositionis, (quæ secundum hîc locum occupat, sunt enim velut in quartæ figuræ modum inversæ præmissæ,) ponitur ejus probatio.

§. XXXVII. Et verò Ciceronis verba, è quibus lucem accendere Sexto Empirico possumus, eò nos ducunt, ut statuamus argumentari Anaxagoram sic voluisse.

*Quicquid ex aquâ concrevit, illud est nigrum:*

*Nix ex aqua concrevit.*

E. *Nix est nigra.*

porro majoris (hæc enim falsa) ruinam ut fulciret, novi syllogismi hunc tibicinem supposuisse:

*Quicquid nigrum est, ex eo quod concrevit, ipsum quoque est nigrum.*

*Aqua est nigra:*

E. *ex aquâ quod concrevit, ipsum quoque est nigrum.*

§. XXXVIII. Verùm in hoc altero syllogismo falsa jam est minor. Atque sic habemus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\upsilon\delta\textcircled{\circ}$  conclusionis falsæ in syllogismo principali, situm in eo, quod præsupponit Anaxagoras, etiam aquam esse nigram.

§. XXXIX. Quamvis autem verosimile sit, Anaxagoram huic ipsi quoque propositioni, quam  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\upsilon\delta\textcircled{\circ}$  esse diximus, nova quæsiisse fulcimina: tamen quænam fuerint, nec è Ciceronis, nec è Sexti Empirici loco suspicari possumus, ac nescio an ex ullo veterum. Minimè omnium certè è Galeno & Lactantio, quorum ille lib. II. de temperam. c. 2. (Class. I. oper. f. 32.) & lib. II. de simplic. med. facult. cap. I. (Class. V. f. 19.) hic lib. III. Divin. Inst. cap. 23. & Lib. V. cap. 3. ineptam Anaxagoræ de nive opinionem referentes, ne verbum quidem addunt, è quo intelligi queat, quibus ad hoc absurdum itineribus fuerit progressus.

§. XL. Quod si tamen porrò quis è nobis interroget: quibus  
argu-

argumentis Anaxagoras aqua nigredinem, (huc enim nos Cicero cum Sexto duxit,) probasse videri queat: non ineptè forsan augurabimur, iisdem id eum conatum fuisse, quibus apud Plutarchum nescio qui utuntur, dum primum frigidum aquam esse disputant, Parte II. Moral. pag. 501. in libello de primo frigido. Urgent autem illi, ut ejusdem substantiæ sunt splendor & calor, (in sole,) sic ejusdem esse nigredinem & frigus (in aquâ.) Addunt, ab aqua omnia nigra reddi: Si enim, inquiunt, candidissimam lanam vel vestem in aquam injicies, nigra inde eximetur, colorq; is manebit tantisper, dum vel calor liquorem exsiccet, vel prælum aut pondus super impositum elidat. Et cum terra conspergitur aquâ, nigricant loca guttis occupata, reliquis pristinum colorem conservantibus. Ipsiusq; adeo aqua, quod imum est, obscurissimum est.

§. XLI. Sed quibuscunque coloribus causam suam Anaxagoras pinxerit, sententiam ejus sensus oculorum fortissimè destruit, qui nec aquam nec nivem esse nigram dicitat, sed illam perspicuam, hanc albam, (de colore aquæ conferri potest Scipio Claromontius lib. XIII. de Universo cap. 1. pag. 88. & Arist. Probl. sect. 23. quæst. 23.)

§. XLII. Quid hîc dicemus Anaxagoram respondisse? Judicium sensuum, hoc quidem in loco, pertinaciter contemnendum putavit sibi. Testem damus Galenum, cujus, dum II. de simpl. med. fac. 1. disserit contra Sophistas, qui fidem sensibus abrogant, hæc verba sunt: *Quin etiam ex illis quidam & Anaxagoram in testimonium evocant, qui nivem pronunciauit non esse albam. Hic, inquiunt, vir Physicus excelsior ac supra sensum exstitit, atq; ejus contemnit phantasmata. Ad rationem ire pergit, eâq; duce rerum naturam scrutatur.*

§. XLIII. Verùm audiat vicissim dictam adversum se à Galeno sententiam, qui mox ita pergit: *Si me, quod in mentem venit, fateri oportet, qui liber sum scilicet, & in tota adeo vitâ extra veritatem studuerim nihil, ad insanie extremum, & ultra pervenisse illos arbitror, quos talia negare non dispudet. Nam si quæ per sensus evidenter apparent, evertant: unde sumant demonstrationum principia, non habebunt. Et longè ante hunc Aristoteles Anaxagoram, licet ejus dissimulato nomine, carpit, dum I. Top. 9. (al. 11.) ita scribit: *Qui dubitant, utrum nix alba sit, nec ne, sensu indigent.* Conf. Piccart. Org. pag. 171. & Disp. de Criter. scient. §. 19. p. 468. in Philos. Altorf.*

§. XLIV. Redeamus in orbitam. Dictum supra §. XXIX. ex Aristotele, fieri posse, ut falsa sit *utraque præmissarum*. Hoc si eveniat, quid faciendum sit, eadem eo loco, quem è prioribus Analyticis produximus, Philosophus non explicat. Videndum ergò, num hanc in rem alium ex eo venari queamus.

§. XLV. Dat eum nobis Liber VIII. Topic. cap. 10. (ali. 3.) ubi hæc legimus. *Quæcunque argumentationes falsum colligunt, solvenda sunt, eo sublato, ex quo falsum efficitur: non enim quovis sublato, ratio (argumenti conclusio) solvitur, ne quidem si falsum sit, quod tollitur. Multa enim falsa continere ratio (argumentatio) potest. Veluti si quis sumpserit (loco majoris) eum, qui sedet scribere, ac (loco minoris) Socratem sedere: ex his enim colligitur (conclusio) Socratem scribere. Hoc igitur sublato, Socratem sedere, nihilo magis soluta est argumentatio. Atqui axioma (propositio minor, quæ affirmat Socratem sedere) est falsum. (Fateor) Sed non ob id ratio (conclusio) est falsa. Si quis enim sedeat neque scribat, huic non amplius eadem solutio conveniet. Quare non hoc est tollendum, sed illud, eum, qui sedet, scribere. Omnino igitur solvit, qui id sustulit, ex quo (primariò) falsum efficitur.*

§. XLVI. Ut mentem Philosophi liquidiùs perspicias, finge nec sedere Socratem nec scribere. Sit tamen aliquis Sophista, qui scribere ipsum hoc probet syllogismo:

*Quicumque sedet, scribit;*

*Socrates sedet;*

*Ergo Socrates scribit.*

Hic certum quidem, utramque præmissarum esse falsam:  $\pi\epsilon\tilde{\omega}\tau\omicron\nu$  tamen  $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\theta$  non in minore situm est, sed in majore. Quamobrem, si quis hoc in casu, quasi perinde sit, utram præmissarum destruat, putet se vicisse, si omisâ majore minorem falsi convicerit, is operam ludet. Facili enim negotio, obtinebit adversarius, ut Socrati, qui steterat hætenus, placeat ita considerare, ut manum tamen calamo non admoveat. Urgebit ergò adhuc majorem suam hætenus ab altero intactam, *Quicumq; sedet, scribit*: atq; hinc veterem ludum renovans inferet, *Socratem scribere*. In majore ergò propositione hic respondententi cauto principium falsi quærendum, quâ eversâ, sive stare libeat Socrati, sive sedere, tota corruet argumenti moles. Vide & Schegkium Comm. in Top. Arist. lib. VIII. text. 41. pag. 1190. item

item Claudium Alberium Triuncuriantum in Organo Lib. VIII. Top:  
præcept. 20. pag. 641.

§. XLVII. Id ergò vult Aristoteles hoc loco, contingere posse, ut utrâq; præmissarum existente falsâ, non tamen utraqve sit *πρώτων ψεύδων*, (quo scilicet sublato, desperata sit conclusio à tali argumento causa) sed altera tantùm: idqve exemplum ejus de Socrate satis clarè docet. Quamquam autem *πρώτη ψεύδης* appellatione hîc non expresse utitur, significatum tamen illud cupit, dum vocat, *παρ' ὃ γίνεται τὸ ψεῦδος, & παρ' ὃ λόγος ψευδής*: vide Piccartum Synops. Org. pag. 396.

§. XLIIIX. Sed quid porro? An ubicunqve præmissarum utraqve falsa, dicemus, non nisi unam esse *πρώτων ψεύδων*, alteram verò minoris periculi, ut scilicet eâ jugulatâ, sperare nihilominus victoriam liceat adversario? Equidem hac de quæstione nihil amplius monet isto loco Aristoteles. Verùm rimantibus nobis causam, unde in ejusmodi syllogismo, qualem de Socrate finxit Aristoteles, dispar sit utriusqve falsitatis robur, facile licebit æstimare, posse alios cogitari syllogismos, in quibus adeò par sit utriusqve præmissæ in falsam conclusionem efficacia, ut, utramcunqve configas, tota vis argumenti sit occisa.

§. XLIX. Ita verò est. In Aristotelis exemplo minor propositio (*Socrates sedet*) ex eo erat falsarum genere, quæ vocantur *possibiles*, h. e. ita sunt falsæ, ut possint tamen fieri veræ. Conabitur ergò adversarius ex falsâ reddere veram, & ita, quamdiu major est intacta, triumphum canet. At verò majore, (*Quicumqve sedet, scribit*) interfectâ sarcire cladem suam non poterit. Est enim ea inter falsas *impossibiles*, homini certè. Quis enim unquam homo efficiet, ut, absqve exceptione, omnis qui sedet, etiam infans, etiam dormiens, etiam chiragricus, scribat?

§. L. Quod si ergò pugna sit nobis cum ejusmodi syllogismo falso ineunda, cujus utraqve præmissarum est *impossibilis*, utramqve licebit pro *ψεύδων πρώτων* habere, & vel ex unius tantùm refutatione certam nobis polliceri victoriam: nempe quia sic non poterit adversarius ex falsâ veram reddere.

§. LI. Liceat Aristotelem imitantibus fingere exemplum.

*Omne quadrupes est volatile:*

*Omnis*

*Omnis homo est quadrupes:*  
*Ergo Omnis homo est volatilis:*  
**Aliud:** *Omnis Piscis est elephas:*  
*Omnis musca est piscis:*  
*Ergo Omnis musca est elephas.*

Hic perinde esse dixero, siue majorem talium argumentorum, siue minorem confodias. Neque enim poterit adversarius tali exanimatae spiritum reddere. *Utramque igitur patiar accenseri πρώτοις ψεύδεσι.*

§. LII. Satis de πρώτω ψεύδει speciali. Succedat generale: quod est falsa propositio, sumpta cum respectu ad plures, quas ex se gignit conclusiones falsas: ut si stirpem alicujus familiae, vel etiam parentem numerosae aut saltem plusquam unius sobolis compares, vel cum tota propagine, vel ad minimum cum liberis aut posteris duobus.

§. LIII. Pro multitudine igitur magnâ, majore, maximâ falsarum conclusionum, cum quibus ex se natis πρώτων aliquod ψεύδος confertur, aliud alio foecundius censerî potest. Imò idem se ipso haberi fertilius, si jam cum paucis, jam cum pluribus germinibus jungatur. Ut adeo distingvi possit generale πρώτων ψεύδος in id, quod generale est gradu positivo, comparativo, superlativo.

§. LIV. Ad positivum vel comparativum generalitatis gradum non inconcinne tritum illud referimus Nostri lib. I. Phys. cap. 2. ἐνός ἀτόπου δοθέντος τὰλλα συμβαίνει. Uno absurdo dato cetera accidunt.

§. LV. Ad superlativum autem optimè quadrabunt verba jam supra §. XXI. citata nobis, Lib. I. de Cælo cap. 5. text. 33. τὸ μικρὸν παρὰ βῆναι τῆς ἀληθείας ἀφισαμύροισ γίνεται πῶρρω μυριοπλασίον. *Parvus exitus à veritate fit hisce, qui exorbitaverunt decies millies major.*

§. LVI. Disputat ibi Aristoteles de infinito. Magna quippe fuit inter veteres contentio de principiis corporum naturalium, finita ea statuere oporteat, an infinita? Similiter de corpore, deturne corpus infinitum nec ne? Circa principem ergò hanc controversiam, (Contrarietatum omnium hisce, qui de naturâ totâ aliquid dixerunt, principium vocat Aristoteles:) qui errabant, hoc est, qui



qui principia infinita, corpus infinitum admittebant, fieri non poterat, quin suos errores multiplicarent in cæteris immani modo. Atque hoc nimirum indicare voluit Philosophus noster eo loco. Conf. Havenreut. Comment. in h.l.

§. LVII. Digna sunt ut hîc referantur, quæ hanc in rem scribit Clariss. Piccartus Disp. de Principiis scientiarum in Philos. Altdorph. pag. 145. *Magna, inquit, principiorum vis sic, ut principium à viris sapientibus dimidium habeatur totius, (Arist. V. Polit. 4. & Hesiod.) imo ipsum solidum totum quandoq, prædicetur (I. Nicom. 7. Plat. in Phæd. Polyb. lib. V.) Et post pauca: Exigua sanè eorum videtur esse ratio, sed plurimum sub extremum pollent. Quemadmodum enim in itinere faciendo parvus error ab initio maximus evadit in extremo: ita principiis male fundatis longissimè tandem à verò aberremus necesse est.* Lib. II. Soph. Elench. c. 9.

§. LVIII. Quod de infinito exemplum protulit Aristoteles, ad naturalem scientiam pertinet. In quâ qui admiserunt actu infinitum, ut Democritus, eos non negaverim in  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\nu$  hîc  $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$  incidisse unum è generalissimis, h. e. tale, quod  $\mu\upsilon\epsilon\tau\iota\omicron\pi\lambda\acute{\alpha}\sigma\iota\omicron\nu$ , ut cum Aristotele rhetoricemur, facilè potuerit excrescere. Neque tamen putaverim, solum id esse, quod superlativo gradu censeri mereatur in Physicis. Sanè cum quæritur de concursu Dei cum causis rerum naturalium secundis, aut de Divinâ Providentiâ, quæ juncta est illi concursui, qui hîc errat, quis hunc non putet vel capitalissimè in Physicis errare?

§. LIX. Ita verò est. Providentiam divinam planè exclusit ab hoc universo Epicurus; Zeno Stoicorum Princeps appensâ Fati ne Deo quidè evitabilis mole gravissimâ, parum abest, quin eam strangulaverit. Mitiùs aliquantùm lapsi sunt hoc in argumento Aristoteles & Plato: lapsi tamen, ut qui ambularent in tenebris Gentilium. Sed quantuscunqve tamen hic error cujusqve fuit, nemo illorum evitare potuit, quin ista lues ab hoc sive capite sive corde scientiæ naturalis proficiscens, membra corporis reliqua varia novis inficeret morbis.

§. LX. Quid? malum hoc etiam in *moralem disciplinam* serpsit. Nam Epicurus, ut de hoc maximè loqui pergamus, negatâ Providentiâ Divinâ, necesse habuit negare animæ nostræ immortalitatem.

C

cem. Hunc errorem qui admisit, ab ejus Philosophiâ practicâ quid fani sperare possumus?

§. LXI. Videamus ita, posse *πρωτων ψευδων* sic esse generale, ut non contentum unius disciplinæ limitibus evagetur in alias quoque. Plus dicam: datur aliquod *πρωτων ψευδων* à Gentilibus olim receptum, quod fons fuit falsi etiam in pluribus pugnantium inter se Philosophorum sectis, ut infra §. LXXXVIII. declarabitur. Agnoscamus ergò, dari novos etiam in generalissimis *πρωτοις ψευδωσι* gradus generalitatum.

§. LXII. Uthæc omnia evadant illustriora, paulò altius ordiri juvat. Tenendum ante omnia, in qualibet disciplinâ errari capitaliter bifariam posse: uno modo circa veri falsique criterium, altero circa *objectorum criterii aliquod primum ac principale*. Quod & sic enunciare possumus: erratur aut circa normam, seu Judicem controversiarum, aut circa controversiam cardinalem seu præcipuam.

§. LXIII. Dignum huc jam diu intendit etiam Cicero, cum in Lucullo seu lib. IV. Acad. Qu. ait: *duo esse hæc maxima in Philosophiâ, iudicium veri, (Criterium nos vocabamus,) & finem bonorum, (de quo quæ agitatur controversia, capitalis est omnino: ) neque sapientem posse esse, qui aut cognoscendi initium ignoret, aut extremum expetendi, ut, aut unde proficiscatur, aut quò perveniendum sit, nesciat: hæc autem habere dubia, neque his ita confidere, ut moveri non possint, abhorrere à sapientiâ plurimum.* Haud dubium, quin præ oculis Tulliana hæc fuerint Pererio, quanquam Ciceronem non nominanti, cum lib. IV. de rer. natur. princip. c. 10. p. 241. ita scriberet: *Duo sunt, ut hinc ordiamur, prima totius Philosophiæ fundamenta, unum veri & falsi iudicium, alterum finis bonorum. Neque enim sapiens esse potest, qui aut cognoscendi initium ignoret, aut extremum expetendi, &c.*

§. LXIV. Criterii vocabulo intelligimus, ut modò patuit, normam controversiarum, quotquot agitari in aliquâ disciplinâ possunt. Extatque de Criteriis scientiarum p. 465. Philos. Altdorph. doctissima Disp. Mich. Piccarti. De primo omnium scientiarum *νεπιμετω* legi quoque meretur Excell. D. Melch. Zeidleri cap. 2. lib. II. Analys. poster. ubi p. 562. *νεπιμετω* vocat id, ad quod velut ad primum revocanda sunt, quæcumque in scientiis occurrunt, ita, ut ea, quæ ipsi repugnant, habenda sint pro inanibus & falsis.

§. LXV.

§. LXV. Non autem idem est omnium disciplinarum Criterium. Theologi quidem certe orthodoxi in auctoritate verbi divini, utpote quod suarum agnoscunt controversiarum normam, unice conquiescunt. At Philosophi, qui sapiunt, in scientiis suis rationem sequuntur ducem, sic tamen, ut à sensu rectè se habente auspiciantur, nec asserant quicquam, quod manifesto sensuum iudicio refelli queat. Præclare Dn. D. Zeidlerus d. l. p. 563. *Ad sensum ultimò revocantur ea omnia, quæ tam ad scientiam cur sit, & quòd sit, quàm ad scientiam an sit, & quid sit, spectant. Demonstrationes enim τῆ δίων, ex quibus nascitur scientia cur sit, nituntur principiis, hæc autem inductione, inductio porro experientiâ, experientia verò sensu. Per sensum quoq; innotescunt effectus, ex quibus proficiscitur demonstratio τῆ ὄτι.*

§. LXVI. Ergò rectissimus in philosophicis ordo ille est, qui ducto à sensibus initio, paulatim assurgit altius, & rationis adhibito lumine, in arcem scientiarum enititur. Neque enim frustra Deus mediæ nos naturæ inter angelos & muta pecora esse, cumq; illis rationem, cum his sensum habere communem iussit, videlicet ut sciremus, utriusque operâ uti nos oportere. Jam cum illud quoq; certum sit, prius nos animantis vitam, quàm hominis vivere, prius sensu, quàm ratione adjuvari: ipsa nobis natura svadet, ut à sensu procedamus ad intellectum; præsertim cum, quod & Aristoteles observavit, nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu.

§. LXVII. Atque hunc ordinem solus in veteribus Philosophis accuratè Noster custodiendum censuit, cæteris mirificè exorbitantibus, & in varia πῶτα ψεύδη circa criterium hoc incidentibus. Tangit hanc rem Pererius, cum iis, quæ suprâ §. LXIII. citavimus, subiecit: *Judicium veri & falsi, Academici, negando vera penitus internosci posse à falsis, omninò sustulerunt; Epicurei totum in sensibus collocarunt; Platonici in solâ mente; Aristotelici tum in hæc, tum & in sensibus: nam evidentem certamq; cognitionem rerum singularium atque sensibiliū à sensibus petendam esse; primorum autem principiorum, & eorum, quæ nullam cum sensibus cognationem habent, à naturali nostræ mentis lumine totam pendere. Itaque Epicurei contendunt, semper esse veros sensus: Academici nunquam; ita ut nihil illis credendum sit; Peripatetici interdum quidem veros, interdum autem falsos. Rursus Academici negant, ullius rei apud nos scientiam & comprehensionem esse; Platonici*

tonici eam quidem concedunt, sed nolunt eam à nobis de novo parari, verum renovari tantummodo per reminiscentiam, Aristotelici verò, & scientiam esse, & novo studio ac disciplinâ comparari.

§. LXVII. Longum nimis foret, omnia, quæ in his vel breviter contraxit Pererius, dilatare, vel non satis clarè aut enodatè ac distinctè executus est, in apricum prolata vocare sub examen. Hoc ergò faciemus potius, ut quid hîc videatur nobis, dum historiæ philosophicæ hanc partem ab aliis etiam excussam scrutamur, vel rectè fecisse Aristoteles, vel alii peccavisse, id distinctè conemur explicare, habito cum primis ad naturalem scientiam respectu, quippe in quâ maximè dominatur, (quod & Piccartus agnovit cit. disp. de criter. scient. §. 13.) *judicium sensûs, cum Philosophus naturalis in sensibilibus occupetur, quorum melior iudex non est, nisi sensus.*

§. LXIX. Patet ex antea dictis, nec soli sensui, nec intellectui soli judiciales partes in quæstionibus de hoc genere assignandas esse, sed ambobus: hoc ordine tamen observato, ut à sensu æstimandi fiat initium. Atque sic fecit Aristoteles, in quæ eo τὸ πρῶτον ἀληθὲς custodivit.

§. LXX. Ab hoc veri tramite quatuor itineribus in πρῶτοι ψεύδη declinari potest: uno, si utrumque iudicem, h. e. sensum pariter & intellectum, abdicis; altero, si solius intellectûs iudicio fretus sensum repudies; tertio, si sola sensuum edicta seqvaris, intellectum elimines; quarto, si utriusque admissio iudicio invertas ordinem, & ab intellectu descendas ad rationem. In primo erroris devio Scepticos deprehendimus, in secundo Anaxagoram, in tertio Epicurum, in quarto Platonem. Lustremus singulos, sed auspicemur à Platone.

§. LXXI. Huic semita placuit Aristotelicæ contraria. Nam Aristoteles à sensibilibus ascendendo progressus est ad intelligibilia. — Plato contra ab intelligibilibus progressus est ad sensibilia: Piccartus iterum de Criter. scient. §. 27. *Quin existimavit Plato, τὸν λόγον satellitio sensuum septum, ad iudicium promendum obtusio rem ineptio remq, reddi, quòd illis impellentibus ad simulacra idolaq, protrahatur, quæ, ut ille existimabat, inani variâque imagine ei imponerent, itaque unicè jubebat rationem à sensibus abducere: Id. ibid. §. 30. Conf. Dn. Zeidler. lib. II. Anal. poster. c. 13. p. 584. seqq.*

§. LXXII.

§. LXXII, Epicurus docebat, *normam omnis iudicii non rationem esse, sed sensum*: Sex. Emp. adversus Mathem. p. 192. & 238. edit. Lat. Venet. Ao. 1569. Voss. cap. 8. de philos. sect. §. 6. p. 52. *adeo ut ne solem quidem vel lunam majorem putaret, quam videretur*, Id. ibid. §. 13. p. 53.

§. LXXIII. De *Anaxagora* dictum supra §. XXXIII. & seqq. quemadmodum ipse, ridiculae rationis somnium secutus, reclamante oculorum sensu contenderit, non albam esse nivem, sed nigram. Quo nomine meretur omnino poni exemplum eorum, qui sensum arcent a tribunali rerum Physicarum.

§. LXXIV. Quod idem & *Pythagoreis* exprobrare possumus, quatenus illi suis de numero denario inventionibus indulgentes, nescio quem novum terrarum orbem, nostro inter sphaeras caelestes oppositum, sed cui, ne observari a nobis possit, solare corpus perpetuo intercederet, nullo adstipulante sensu commenti sunt. *Av-nix* *θova* ipsi vocabant. Rectius vos veterem vocabimus Utopiam. Verum de hoc figmento plura dicemus infra §. XCIII.

§. LXXV. Qui in tales cerebrose rationis ineptias duci se sunt passi, adversus eos merito usurpes illud Bernhardini Telesii proem. libror. de rer. nat. f. m. 554. *Veluti cum Deo de sapientia contententes decertantesque, mundi ipsius principia & causas ratione inquirere ausi, & quae non invenerant, inventa ea sibi esse existimantes, volentesque, veluti suo arbitratu Mundum effinxere. -- Non scilicet eo usque sibi homines placere, & eo usque animo efferrī oportebat, ut veluti naturae praecantes, & Dei ipsius non sapientiam modo, sed potentiam affectantes, ea ipsi rebus darent, quae rebus inesse intuitu non forent.*

§. LXXVI. Hi omnes interim, quos hucusque memoravimus, & laudari, & cum Aristotele nostro saltim in eo comparari merentur, quod *Dogmatici* fuerunt, h. e. quod non esse modo veritatem in rebus agnoverunt, sed eam quoque posse ab homine comprehendi sunt arbitrati, ipsique adeo in controversiis non paucis certam edixerunt sententiam. Quo merito, quanquam in quibusdam satis foede sunt lapsi, locus tamen illis omnino relinquendus est aliquis inter Philosophos.

§. LXXVII, Aliter de iis pronunciandum, qui *Dogmaticis* omnibus penitus adversi *novam* introduxerunt, ut cum Lactantio è lib. III. c. 4. divin. Inst. loquamur, *non philosophandi Philosophia.*

A re ipsâ *Scepticos* vocare solemus, *Zeteticos* item, *Aporeticos*, & *Ephecti-*  
*cos*, quòd perpetuâ speculatione, (*σκεψει*) inquisitione, (*ζητησει*),  
 dubitatione, (*απορεια*), suspensione sententiæ (*αποχη*) occupati,  
 cum in re nullâ neque sensui confiderent, neque rationi, negarent  
 quicquam infallibili notitiâ deprehendi ab homine verum posse,  
 atque adeò nullum planè *κρητηριον* admitterent. Uti docet Sext.  
*Emp. Lib. I. Hypot. Pyrrh. c. II.* Pessimus profectò reliquorum, qui, cum  
 oculum ipsis & mentis & corporis indulsisset Numen Divinum, ni-  
 hilominus mallent utriusque palpebrâ clausâ voluntarias sibi tene-  
 bras consciscere, quàm vel altero saltem oculo aperto diem à nocte  
 dignoscere.

§. LXXVIII. Aliàs *Academici* quoque appellantur ac *Pyrr-*  
*rhonii*. *Academici* videlicet ab Arcesilâ secundæ, & Carneade tertiæ  
*Academiæ* conditoribus: quorum ille ne quidem in ipsis rebus  
 quicquam esse veri concedebat; hic paulò tolerabiliore infaniâ  
 fatebatur quidem, contineri veritatem in rebus, sed ejus assequen-  
 dæ ullam in nobis facultatem esse cum Arcesilâ pertinaciter abnue-  
 bat. *Pyrrhonii* verò à Pyrrhone, qui & ipse pernegabat, quicquam  
 comprehendi posse. Vid. Voss. de Philos. sect. c. 13. 14. 20. p. 74.  
 75. 105. & pl. Rev. Zeidler. Anal. post. lib. I. c. 1. p. 1. 2.

§. LXXIX. De utroque operæ pretium est etiam Gellii ver-  
 ba apponere è lib. XI. c. 5. *Quos Pyrrhonios Philosophos vocamus,*  
*ii graeco cognomento Σκεπτικοὶ appellantur. Id ferme significat quasi*  
*questitores & consideratores. Nihil enim decernunt, nihil constituunt, sed*  
*in querendo semper considerandoque sunt, quidnam sit omnium rerum, de*  
*quo decerni constituique possit. Ac ne videre quoque planè quicquam,*  
*neque audire sese putant, sed ita pati afficique, quasi videant vel audiant.*  
*Vetus autem questio, -- an quid, & quantum inter Pyrrhonios & Aca-*  
*demicos philosophos intersit. Utrique enim σκεπτικοὶ, & Φεκτικοὶ, ἀπο-*  
*ρητικοὶ dicuntur, quoniam utrique nihil affirmant, nihilque comprehendi*  
*putant, sed ex omnibus rebus perinde visa fieri dicunt, quas Φαντασίας*  
*appellant, non ut rerum ipsarum natura est, sed affectio animi corporisve*  
*est eorum, ad quos ea visa perveniunt. -- Cum hæc autem consimiliter tam*  
*Pyrrhonii dicant, quàm Academici: differre tamen inter sese & propter*  
*alia quedam, & vel maxime propterea existimati sunt, quòd Academici*  
*quidem ipsum illud, nihil posse comprehendi, quasi comprehendunt, & nihil*  
*posse decerni, quasi decernunt; Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri*  
*verum*

verum dicunt, quod nihil esse verum videtur. Vide etiam Sext. Emp.  
lib. I. Pyrrh Hypot. c. 33.

§. LXXX. Neque nostro seculo defuerunt, qui scepticam  
Philosophiam vel recoquerent, vel non averfarentur penitus. Est  
in manibus eruditorum *Francisci Sanchez*, Doctoris Medici & in  
Academia Tolosana Professoris Regii Tractatus, *Quod nihil scitur*,  
cum aliis excusus Roterodami A. 1549. Sed hunc, quia minoris est fa-  
mae, mitto. De *Renato Cartesio*, quem hodie multi praeter meritum ad-  
mirantur, quaedam hic monere haud alienum erit a loco praesente.

§. LXXXI. Jubet ille discipulos in theoretica philosophia  
suos non modo de omnibus dubitare ac iudicium suspendere, quod  
Sceptici quoque faciebant, sed & manifestissime vera, ut quod ma-  
nus habeas, quod pedes, quod corporibus plenum sit hoc univer-  
sum, reputare pro falsis, vicissim falsissima pro veris substituere;  
idque horribilem in modum. *Supponam*, inquit p. 13 Medit. de  
prima Philosoph. *non optimum Deum, fontem veritatis, sed genium aliquem  
malignum, eundemque summe potentem & callidum, omnem industriam  
in eo posuisse, ut me falleret: putabo caelum, aërem, terram, coleres, figu-  
ras, sonos, cunctaque externa nihil aliud esse quam ludificationes somnio-  
rum, quibus insidias credulitati meae tetendit. (Increpet te Deus, Sa-  
tana!) Considerabo me ipsum, (ita pergit,) tanquam manus non haben-  
tem, non oculos, non carnem, non sanguinem, non aliquem sensum. Ad  
hunc profecto profanissimae impietatis gradum nemo, quod sciam,  
veterum Scepticorum processus est. Vicit omnes Graecos infania  
unius Galli.*

§. LXXXII. Vicissim fateor, ex alia quadam parte mitio-  
rem Cartesii esse Philosophiam. Cum enim illi prisci propositum  
dubitandi suum per universam vitam extenderent, de veritate  
omni plane desperantes; ipse non nisi inter philosophandi princi-  
pia, horrendis illis fluctibus se commisit, conatus postea ex iis ad  
portum veritatis emergere, & relicto Scepticismo se Dogmaticorum se-  
natui adjungere. Verum & hic pro portu delatus est ad scopulos, *Pla-  
toni* propior, quem inconsulto itinere ab intellectu ad sensum de-  
scendisse diximus, quam *Aristoteli*, qui naturae humanae obsecun-  
dans a sensu pedem promovit ad intellectum.

§. XXXIII. Rem facile animadvertet, quisquis primarum  
Cartesii veritatum unam alteramve inspexerit: ut illam: Ego co-  
gito.

gito. E. sum. Item hanc: *Idea Dei est in meâ mente. E. Deus existit.* Multa in his moneri possent: sed hoc unum quæram. Cur non sic potius argumentari voluit? *Ego me palpo: E. ego sum. Sapientia, Potentia, Benignitas Creatoris elucet in Mundo visibili: E. Deus est.* Nam in hoc & Apostolus τὸ γνωστὸν τῶ θεῷ scribit gentilibus fuisse *Φανερόν.* Rom. i. v. 19. 20. Nempe noluit à sensu ad intellectum procedere: maluit itinere contrario ab intellectu ad sensum. Nam & persuasum illi fuit, *mentem nostram non modo prius & certius, sed etiam evidentius quàm corpus cognosci*, uti loquitur ipse in principiis Philosoph. Part. I. n. II. Sed hoc revera est ordinem criteriorum invertere.

§. LXXXIV. Tantum de erroribus, qui circa *criterium* seu normam controversiarum possunt committi. Alterum genus errorum generalium occupari diximus *in objecto Criterii principali*, seu controversiarum aliqua præcipua: tali puta, ut ex eâ perperam decisâ, propagari falsitatem in alias plures inferioris ordinis necesse sit.

§. LXXXV. Hujusmodi *πρῶτον ψεῦδος* generale pro disciplinarum varietate varium ipsum quoque est ac multiplex: aliud puta in scientiâ naturali, aliud in supernaturali, aliud in Matheſi, aliud in practicâ Philosophiâ, aliud in disciplinis effectivis Dialecticâ, Analyticâ, Rhetoricâ, Grammaticâ. Fieri quoque potest, ut idem *ψεῦδος* labe suâ plus, quàm uni disciplinæ noceat.

§. LXXXVI. Exempla quædam repetere licebit è superioribus. Enimverò, si *Physicam* spectamus, graviter impingebant in ipso vestibulo, qui principia ponebant infinita, (respice ad §. LVI.) si *Ethicam*, qui animæ immortalitatem inficiabantur, (§. LX.); si *utramque*, qui circa divinam errabant providentiam, (ibid. & §. LVIII. LIX.)

§. LXXXVII. His & alia jungere possumus. In *civili sapientia* capitalis error hic fuit Hobbessii, quòd conditionem hominum extrâ societatem civilem esse bellum omnium opinatus est contra omnes, in quo jus haberent omnes in omnia: id quod nihil aliud fuit, quàm statum, uti nos vocamus legalem, ponere mensuram naturalis, quod contra factam oportuit. Vide Præſidis Tab. Phil. Pract. XXXIII: in fin. & annot. ib. f. 47. Sic in *Logicis*, si Aristotelicæ doctrinæ ἀνεπίβουλον sequimur, lapsi sunt, qui crediderunt, Dialecticam



lecticam & Analyticam partes esse unius ejusdemque disciplinæ,  
cùm tamen distinctissimas ipsas haberi oporteat, alteram quippe  
comparandæ tantùm opinioni, alteram gignendæ scientiæ inservi-  
entem. Vid. Scherbium dissert. adv. Ramist. c. 10. (Philos. Alt-  
dorph. p. 30. seqq.) Dn. D. Dreierum Disp. II. in prim. Philos. §. II.  
Piccartum Synop. Org. p. 4. seqq. & Quæst. Miscel in Philos. Alt-  
dorph. p. 390. & alios.

§. LXXXVIII. Nunc, ut fidem §. LXI. datam liberemus,  
tenendum porrò, dari quoque posse  $\pi\epsilon\tilde{\omega}\tau\omicron\nu$  ex objecto Criterii  $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omicron$ ,  
quod tantæ sit generalitatis, ut latissimè vagetur per plures  
philosophantium sectas. Quæstio est: *Possit ne DEUS ex purè nihilo  
create aliquam substantiam?* Vetat hæc de re dubitare nos fides Chri-  
stiana. Sed contrarium toti olim Gentilismo persuasit olim pater  
mendacii. Necessè hinc fuit, ut coæternam Deo, neque depen-  
dentem ab eo causaliter apponerent materiam primam, nisi vellent,  
quod Alexander fecit Epicureus, Deum ipsum cum materiâ primâ  
confundere. Vide Excell. Dn. Præsidentem Schediasm. histor. p. 28.  
29. & Disp. de Q. An Deus sit matéria prima, §. 4. 8. 13. 26.

§. LXXXIX. Ex hoc fonte erroris quemadmodum derivatæ  
olim fuerint quatuor Philosophorum apud Græcos sectæ Principes,  
sic potest ostendi. Appositâ enim Deo materiâ coæternâ necesse fuit  
oriri mundum hunc adspectabililem aut ex congressu Dei cum ma-  
teriâ, aut ex materiâ sine Deo fœcundâ. Si prius, congressus ille  
aut liberæ fuit in Deo voluntatis, atque hoc *Platoni* placuit, aut ne-  
cessariis, ut *Aristoteli* visum, ac Stoicorum Patri *Zenoni*: quos duos  
hoc iterum dissociavit, quòd ille Deum daret Mundo formam as-  
sistentem, hic informantem. Materia verò sine Deo fœcunda *Epi-  
curo* arrisit, qui atomos infinitas, (hæ videlicet ipsi materia fuerunt  
prima,) cœco impetu fluctuasse tamdiu censuit, donec tandem for-  
tuito casu moles hæc enasceretur universi.

§. XC. E falsis, quæ circa ipsum impingant *criterium*, illustre ge-  
neralitatis exemplum præbet nobis Schola Pythagoræorum. Quan-  
quam enim non evagatur horum  $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omicron$  extrâ limites unius Sectæ:  
tamen neque unius disciplinæ finibus contentum, ridiculis con-  
sequentiis Physicam, Grammaticam, Dialecticam aspergit.

§. XCI. *Adsveti mathematicis* isti Philosophi (verba sunt D. Doct.  
Dreieri Disp. IV. in prim. philos. §. 14. p. 64.) *mathematica principia*  
D *omnium*

omnium rerum principia posuerunt. Numeros enim priores naturam putarunt rebus omnibus mathematicis & corporeis: inde ex monade & indeterminata dualitate dixerunt numeros gigni, ex numeris puncta, ex punctis lineas, ex his figuras planas, ex planis vero corpora solida, ignem, aquam, aërem, terram, ut habet Diog. Laër. lib. 8. in vita Pythagoræ. Quantum enim fieri potuit, proprietates rerum numeris tanquam essentiis rerum attribuerunt, & vicissim, quæ in numeris cernebant, rebus applicabant. Fuit ergo πρῶτον hoc illorum ψεῦδος, quod crediderunt arithmetica principia sua normam esse controversiarum in omnibus disciplinis, atque sic in ipso criterio turpiter sunt hallucinati.

§. XCII. Jam videamus portenta consequentiarum. Omitto, quod iustitiam, quia videbant eam secundum proportionem arithmetica & geometricam exerceri, talem quoque numeri passionem esse intulerunt; quod quaternario animam constare, tempus septenario contineri dixerunt: id unum hic lustrabo, denarii numeri admiratio quantas in ipsorum cerebro ineptias excitaverit. Quoniam enim denarius numerus perfectissimus illis videbatur, concludebant, numerari quoque decem sphaeras oportere in physicis, decem partes orationis in grammaticis, decem predicamenta in dialecticis.

§. XCIII. De Mundi decem sphaeris sic habendum. Numerabant veteres plerique orbis hujus universi octo, septenos videlicet planetarum, octavum siderum fixorum, nonum terræ. His novem addendum Pythagoræi, ne denarii numeri perfectio sibi periclitaretur, decimum putaverunt, ἀΐχθονα vocantes, quam fingebant esse alium, totoque cælo distantem à nostro, orbem, sub Sole semper occultatum, quæ causa sit, cur videri ille à nobis non possit. Vide Aristot. I. Metaph. 5. & qui locum hunc ejus interpretantur, Fonseca p. 238. Havenreut. p. 124. Sonerum p. 128. Dn. Dreierum l. c. p. 65. His & Pererium junge IV. de rer. nat. princ. p. 227. 228. Egregius quoque hanc in rem alter est locus Aristotelis II. de cæl. 13. quem dum his verbis concludit, (ὅτι πρὸς τὰ Φαινόμενα τῆς λόγος καὶ τὰς αἰτίας ζητῶντες, ἀλλὰ πρὸς τινὰς δόξας καὶ λόγους αὐτῶν τὰ Φαινόμενα προσέλεκοντες, καὶ πειρώμενοι συγκοσμεῖν,) satis innuit, πρῶτον illorum ψεῦδος circa criterium fuisse, quod opinionum suarum ludibria sensuum pronuntiatis anteponebant.

§. XCIV. Quod ad partes Orationis attinet, octo eas numerant etiam Græcorum Grammatici. Sed Pythagoræi, quibus δέκας erat τὸ πᾶν,

πᾶν, (uti loquitur Photius cod. 187. f. 465. Nicomachi Geraseni libros arithmetorum theologorum recensens,) ex his octo fecerant decem, addentes nescio quam *μερολογίαν* & *ἑξαπλήρωμα*: allocutionē & supplementum vertit interpres Photii ad d. l. Andreas Schottus.

§. XCV. De prædicamentis decem sufficiat hîc adscribere locum Boethii, è quo simul disces, Pythagoræ sectatores denarium numerum etiam proportionibus contrâ communem sententiam obtrusisse. Sic enim Boethius lib. II. Arithm. c. 41. f. 1352. *Confessa quidem, & apud antiquiores nota — hæ tres medietates sunt, arithmetica, geometrica, harmonica. Post quas proportionum habitudines tres alie sunt, quæ sine nomine quidem feruntur: vocantur autem quarta, quinta, & sexta, quæ superius dictis medietatibus oppositæ sunt. At verò postea propter denarii numeri perfectionem, quod erat Pythagoræ complacitus, medietates alias quatuor addiderunt, ut in his proportionalitatibus denariæ quantitatis corpus efficerent. Inde etiam in Aristotelicâ, atq; Archytæ prius, decem prædicamentorum descriptione Pythagoricum denarium manifestum est inveniri. Quandoquidem & Plato studiosissimus Pythagoræ secundum eam disputationem dividit, & Archytas Pythagoricas ante Aristotelem (licet quibusdam sit ambiguum,) decem hæc prædicamenta constituit. Inde & decem membrorum particule, inde alia permulta, quæ omnia persequi non est necesse.*

§. XCVI. Dicet aliquis, incommodum esse hoc exemplum de prædicamentorum denario numero: πρῶτον enim ψεῦδος per §. XXIII. est, quod parit conclusionem falsam, non veram; atq; decem esse prædicamenta Dialectici passim agnoscunt, neque novatoribus assentiuntur, qui hunc numerum impugnant. Respondeo, sint per nos etiam ac maneant prædicamenta decem: erit nihilominus illa Pythagoræorû argumentatio satis aptum πρῶτον ψεῦδος exemplum, modò quæstionem rectè formemus. Non enim id quæremus: *an prædicamenta sint decem?* sed hoc: *an prædicamentorum numerus rectè demonstratur per speculationes Pythagoræorum arithmeticas?* Ergò cum illi sic colligunt: *Quicumq; numerus est perfectissimus, ex eo rectè demonstratur multitudo prædicamentorum in Dialecticis. Denarius est numerorum perfectissimus, Ergò &c.* non majorem negabimus modò, sed ne conclusioni quidem assentiamur.

§. XCVII. Quò prolixiores fuimus hætenus in explicandis πρῶτον ψεῦδος divisionibus, hoc breviores erimus jam in causis ejusdem atq; oppositis. *Causa primi falsi in plerisque est ignorantia, non ea quidem,*

95  
114  
ax  
quidem, quam *puræ negationis* appellare solemus, sed quam *prave dispositionis*. Primum enim falsum est certa quædam propositio seu enunciatio: at puræ negationis ignorantia nullum planè conceptum habet vel subjecti, vel prædicati, de quo quæritur, vel utriusque termini; formare ergò enunciationem ejusmodi non potest.

§. XCVIII. Dixi, *in plerisque*. Sunt enim, qui, licet veritatem non ignorent, ei tamen reclamante conscientia contradicentes *πρώτων* aliquod *ψεύδος*, pravo affectu imbuti, enuncient, ac defendere laborent. His causa mendacii non est *imbecillitas intellectus*, sed *pravitas voluntatis*: quæ de re sufficere possunt, quæ §. IX. & seqq. occupavimus monere.

§. XCIX. *Opponitur πρώτων ψεύδος*, relative quidem, & quatenus *πρώτων* est, *conclusioni*, quam gignit *false*, ut soboli parens, (unde simul obiter *effectum* ejus intelligis;) *contrarie* verò, (nisi quis *privative* malit dicere,) & tanquam *ψεύδος*, τῷ πρώτῳ ἀληθείᾳ, seu τῇ πρώτῃ ἀληθείᾳ, *primo vero, primæ veritati*: quæ hoc loco nihil aliud est nobis, quam propositio vera, primo falso accuratè adversans: cujus exempla vel tiro aliquis philosophiæ facile poterit è superioribus effigiare.

§. C. Atque hæc sunt, quæ de πρώτῳ ψεύδει commentari potuimus. Ea verò satis accurata esse non audemus cuiquam polliceri, cum ne nobis quidem, qui festinantes & nullius, argumentum hoc ex professo præeuntis, adminiculo fulti, hæc in chartas conjecimus, per omnia satisfaciant. Ignosces igitur, *Lector Benevole* si expectationem tuam non implevimus, TU verò DEUS OPT. MAX. qui PRIMA VERITAS eminenter es, conserva nos in vero, & ab omni falso clementer assensum nostrum averte!



per plura fieri  
modum accurat

§. IV. R  
admodum eni  
& per parietes  
stantibus parie  
mius illud & in  
fundamento:


struem lignoru  
bat: ) sic etiam  
structa sunt, lab

§. V. Ve  
dum, illam de  
esse, quod fals  
lapideæ à tecto

§. VI. It  
cultas est, quæ  
dendoq; πρώτοι  
gligentia Scho  
historia Philof  
dam. Jam ut  
hoc fundamen  
rum molitione  
quæ magno cu  
sunt, particulati

§. VII. I  
qui πρώτοι sed  
student. Cui  
quasi arbores  
non est, quin  
dice, quicquid  
aboleri. Sed  
annon prope n

§. VIII.  
mus, ut vel un  
ramusculos de



n destruendi

esse: quem  
endo à tecto,  
dum, quàm,  
mbentia fir  
m admove  
orio ille, qui  
ummô vole  
quæ super

n hîc notan  
o dissimilem  
ucturæ verò  
eranda diffi  
o deprehen  
ic potius ne  
laborarunt  
im imputan  
llimum erit  
rosæ sunt eo  
io erroris ea,  
us conjuncta

nsendi sunt,  
e refellendis  
, ut integras  
nt, dubium  
t, succisâ ra  
tum, pariter  
ci, ac nescio  
ois imponi  
a ad ultimos  
enere, de actu  
*signato*

